

dat ergo caritas vestra, quae xenia a domino receperit, cum primitias fructuum suorum in ara Christi dedicaret. In celebratione namque primariae missae, dum carnis et sanguinis Iesu Christi gustaret edulium, illico spiritus sanctus dulcedine sui divini nectaris utriusque hominis substantiam mirifice perfudit. Tantus fuit huius dulcedinis vigor et virtus, ut omnis corporalis cibi saporem per continuos triginta dies exterminaret. Neque haec dulcedo fuit momentanea, sed his continuis triginta diebus se eadem dulcedine renovari et inebriari persensit. O felix anima, quae illam dulcedinem praelibare et praegustare meruit, quam dominus dilectis suis in praemium reservavit.

Cap. 7 [Quod vidit praesentiam dei et angelorum in mysterio altaris]
Christus dominus sicut fasciculus myrrhae inter ubera dilecti sui morabatur, in cuius adustione odor suavissimus prodibat, cuius fragrantia proximorum corda suffumigabat. Et quia rigidus stetit in custodia sua de puritate utriusque hominis servanda, ideo consolationis divinae sibi adaucta est gratia. Concessum est enim ei in amore Christi ardenti, dum sacro altaris mysterio devotius intenderet, ut dominum nostrum Iesum Christum saepe videre mereretur. Quis autem digne hoc explicare valeat, quantum de hac visione profecerit? Ingessit enim se tam efficaciter energia huius beatae visionis, ut mentem ipsius introrsus adureret incendio amoris et impleret absynthio compassionis. Nam cum videret iubilum et gaudium cordis sui, liquefacta est anima diligentis et memoria passionis Christi adeo medullitus cordis visceribus est impressa, ut mentales oculi frequenter contemplantes vulnera crucifixi domini lacrimarum fontem introrsus parturirent, de quarum effusione oculi corporales se continere non possent. Sicut enim ignis sibi ferrum assumit et aer solem, sic Christi cultor sibi Christum induit et totus in amorem illius, quem viderat, incanduit. Tempore etiam mysterii eiusdem vidit, angelorum adesse frequentiam, de quorum non solum gratulabatur aspectu, sed etiam utebatur promptissimo famulatu. Testantur etiam nobis nonnulli fide digni, quod viderint, hominem dei in divino mysterio consistentem aliquantulum mole corporea fuisse divinitus elevatum. Dicunt enim, ipsum pedibus suis a terra elevatis in liquido aere stetisse sola virtute divina subnixum. Hoc etiam asserunt, duntaxat esse factum per illud temporis momentum, quo sacri canonis arcanum perlegit compendium.